

ob id nulla ex eo obligatio a, nec mandati inter vos actio nascitur. a) mandati scil. Sed tamen si dolo tibi datum sit ejusmodi mandatum seu consilium, eoque lesus sis, aliqua obligatio, & actio de dolo nascitur. l. quod si. §. ff. de dol.

§ 1. Mandantis tantum gratia intervenit mandatum: veluti si quis tibi mandet, ut negotia ejus gereres, vel ut fundum ei emereres, vel ut pro eo sponderes a. a) unde tibi fidejussori, veluti mandatario, datur contra reum principalem, ut mandantem, mandati actio. §. si quid. §. supra de fidejussor.

§ 2. Tuam gratiam & mandantis: veluti si mandet tibi, ut pecuniam sub usuris crederis ei, qui in rem ipsius a mutua retur: aut si volente te agere cum eo b ex fidejussoria causa, mandet tibi, ut cum reo agas, periculo mandantis c: vel ut ipsius periculo d stipuleris ab eo, quem tibi deleget in id, quod tibi debuerat.

a) mandantis scil. puta quod ejus procurator, opus haberet pecuniam, ad res mandantis rectius administrandas.

b) velut cum fidejussore qui apud te pro aliquo intercessit: cum fidejussore enim olim agi potuit ante reum principalem. l. jure nostro. §. C. de fidejuss. quam hodie non possit. Nov. 4. c. 1. nisi beneficio excusationis seu ordinis, quod ex Nov. 4 fidejussori competit, sit renunciatum. arg. l. penult. C. de pact.

c) fidejussoris scilicet. Nec supervacuum erit hujusmodi mandatum. Nam licet etiam absque mandato fidejussoris, creditor actionem habeat contra fidejussorem, postquam contra reum principalem egit, nec debitum consecutus est. l. reos. 23. C. de fidejussor. tamen utilius esse creditori potest, etiam unius ejusdemque rei nomine plures habere actiones, contra eundem fidejussorem: antiquam scil. ex stipulatu, & novam ex mandato: ut scil. si antiqua obstat exceptio (pacti v. g.) tunc nova agi possit. arg. l. si unus. 27. §. pacta

pacta